Erster Jahres-Bericht

des

k. k. Staatsuntergymnasiums

in Czernowitz.


Veröffentlicht

am Schlusse des Schuljahres 1897/98.



INHALT:

1. *Quibusnam litterarum studiis C. Corn. Tacitus imbutus fuisse videatur et quam rationem in ea re secutus sit, exposuit JOH. TIRON.*
2. *Schulnachrichten, vom DIRECTOR.*



Czernowitz 1898.

Buchdruckerei Hermann Beiner, Suczawa.

Im Selbstverlage der Anstalt.



Erster Jahres-Bericht


des

k. k. Staatsuntergymnasiums

in Czernowitz.

Veröffentlicht

am Schlusse des Schuljahres 1897/98.



INHALT:

Czernowitz 1898.

Buchdruckerei Hermann Beiner, Suczawa.

Im Selbstverlage der Anstalt.

Erster Jahres-Bericht

des

K. K. STAATS-UNTERGYMNASIUMS


in Czernowitz.

Veröffentlicht

am Schlusse des Schuljahres 1897/98.



Inhalt:



Czernowitz 1898.

Buchdruckerei Hermann Beiner, Suczawa.

Im Selbstverlage der Anstalt.

Quibusnam litterarum studiis C. Corn. Tacitus imbutus fuisse videatur et quam rationem in ea re secutus sit.

Ex ingenti scriptorum, qui res Romanas litterarum monumentis prodiderunt, numero nemo est, quem merito quis C. Cornelio Tacito anteponat.

Muret. orat. II, 16.

Clarorum virorum existimatio ut primum ex temporum condicionibus, tum moribus et studiis, deinde aliis quibusdam rationibus pendet, ita Taciti quoque ingenium non tam singulis ex partibus quam potius universa contemplatione instituta elucet. Vera eius indoles ac natura non semper probe et plane intellegi potest ex singulis iudiciis, quae de ipso facta sunt, cum hoc modo virtutes raro recte aestimentur.

Iam vero si Taciti litterarum studia et rationem, quam in ea re secutus sit, in universum autem ingenium, quo valuit, penitus cognoscere volumus, multum sane refert, ut antea intellegamus, qua disciplina tunc

temporis pueri imbui soliti sint et qua ipse usus esse videatur. Itaque iuvat pauca praefari

De Taciti educatione et institutione.

Taciti educatio et institutio quae fuerit, partim ex ipsius partim ex Plinii minoris scriptis docemur, qui intimus eius amicus sociusque erat et gaudiorum et malorum.

Iam quod genere nobili natus erat Tacitus neque minus ex discendi cupiditate et nimio studiorum ardore magna diligentia et cura ad eius institutionem adhibita fuisse videtur, quae, cum placidi et casti mores ei tamquam innati essent, eo felicius processit. — Antiquitus enim servatus mos erat [1]) inprimis a maioribus Romanorum ordinibus, ut parentes et propinqui multum conferrent ad cognatorum consanguineorumque rationem educationis et institutionis, [2]) id quod exceptis dumtaxat nonnullis gentibus Tacitea quoque aetate valebat. Pater enim familias semper operam dabat, ut liberorum et corporis et animi saluti consuleret; huius patriae curae Tacitum minime expertem fuisse putabimus. Pater eius, eques Romanus, qui Belgicae Galliae rationes procuravit, [3]) non solum sermonis Latini et Graeci, sed etiam barbari, qui dicebatur, peritus fuit, cum alterius scientia in homine erudito per se intellegeretur, alterum autem in munere fungendo adeo eum scire necesse esset, ut omnes intellegeret omnibusque par esset in loquendi facultate. Itaque sine dubio filium quoque sermone Graeco et Latino pari modo erudiendum curavit, a quo, ut Quintilianus docet, [4]) institutio puerilis incipienda est. Multo praeterea maiorem sermonum copiam sibi acquisivisse videtur gentium, quae in dicione populi Romani erant aut commercio utebantur, quorum nonnulos a patre vel a propinquis eum didicisse par est. Nec desunt eorum studiorum multa et praeclara in scriptis eius documenta. Eadem atque sermonum erat eruditio institutorum gentium. Pater enim filium non solum vernaculas, sed etiam exteras res docebat, quarum illas, si quis Romanus in patria dignitatem aliquam obtinere cupivit, ante omnia scire debuit; neque minus ex magnitudine imperii Romani, quam ex morum legumque varietate atque finitimarum

---

[1]) Cf. Grasberger L., Erziehung und Unterricht im class. Alterthum, Würzburg 1864—1881 I, pg. 215 sqq., pg. 221 sqq. Marquardt — Mommsen, Handb. d. röm. Alterth. Leipzig 1879 VII, 1 pg. 79 sq., pg. 87 sqq.

[2]) Tacit. dialog. 34.

[3]) Cf. Haase, Tac. opp. praefat. pg. VI sqq. Finck, praefat. ad Germ. pg. 5 sqq. Nipperdey, praefat. ad Tac. opp. pg. 2 sq. Liebert, de doctrina Taciti. Wirceburgi 1868, pg. 3. Ulrichs, de vita et honoribus Taciti, Wirceburgi 1879 pg. 1 sqq. Wrobel, vir ill. in scholis.

[4]) Instit. orat. I, 1, 12.

[illegible]tatum consuetudine unumquemque, qui munere aliquo publico fungi et in foro versari concupisceret, per omnia expertum et magna scientia magnaque studiorum varietate et copia esse par erat. Itaque dubitari non potest, quin Tacitus iuris peritiam sibi paraverit, leges et instituta maiorum omnesque res Romanorum gestas diligenter cognoverit, quippe cui reprehendenda videretur inscitia rei publicae ut alienae.[1]) Quae omnia ut penitus disceret filius, pater multum operae navabat; is enim in forum eum deducebat, quatenus, qui tum mores et leges erant, licebat. Saepenumero factum est, ut in urbem et in provincias ductus res, quae ad rem publicam administrandam pertinerent, cognosceret. Sed incertum est, num Tacitus simili ratione eam viam ingressus sit, ut, quod appeteret, assequeretur, quamquam in nonnullis provinciis, quae imperio Romano nondum plane subiectae essent, eum commoratum esse verisimile videtur, inprimis in Britannia. Aliae institutionis res, quas pater familias maxime spectabat, erant partes quaedam historiae patriae atque religionis. Adultos iam ad ingenii maturitatem filios primum originem et sortem stirpis docebant, deinde, quomodo exstitisset et crevisset res publica, postremo, quid praescriberet religio. Nobiles enim Romanorum iis, qui eiusdem erant stirpis, familiarum originem subtexuerunt, unde facta maiorum et suboli hereditate relicta iura et officia cognoscerent. Religionis autem praecepta, quia multa simul continebantur, raro ipsi tradebant, sed plerumque viros peritos acciverunt. Atque Tacitum diligenter institutum fuisse et vernacula et extera religione ex ea re colligi licet, quod cum multum valeret ad privatam et publicam vitam neque minus historiae scribendae munus eius notitiam postularet, miro quodam studio eam in scriptis suis tractatam videmus. Quare Tacitum a Nicete Smyrnaeo, Plinii minoris magistro, religione institutum esse verisimillimum est.[2]) Is enim et philosophiae et rhetoricae disciplinae magister fuit et ab utroque cognomine Sacerdos appellabatur, cum non rerum sacrarum solum peritissimus, sed religionis etiam gentium ad orientem et occidentem spectantium studiosissimus fuisse videretur.

Itaque, quantum fieri potuit, verisimillimam Taciteae institutionis imaginem adumbrasse mihi confido, quam inde uberius tractare haud pigebit.

Quamquam enim nihil fere de eius pueritia traditum est, tamen ex illius temporis condicionibus et usu conicere licet eum diligenter institutum esse ea disciplina, qua tum pueri imbui solerent.[3]) Educatus erat igitur veterum more primum in gremio ac sinu matris et imbutus artium honestarum elementis. A Graeco deinde sermone incepisse eius disciplina videtur, quoniam non modo Quintilianus aperte illud probavit, sed etiam Cicero, qui in „dialogo de oratoribus“ tamquam absolutae educationis no-

---

[1]) Histor. I, 1.

[2]) Plin. epist. VI, 6. Tacit. dialog. 15.

[3]) Haase, Tac. opp. praefat. pg. VII.

minatur exemplar, Crassus, alii Graecis exercitationibus optime ali ingenia putabant [1]) patriusque sermo iam per se puero una discendus erat. [2]) Sed etiam tenera hac aetate puerorum animos iam litterarum elementis instituere inceperunt Romani, quod fieri noluerunt nisi una cum institutione morum. Itaque quoniam ipso genere Tacitus ad magistratus capessendos destinatus erat, non est, quod dubitemus, quin a prima iuventute litterarum elementis diligentissime imbutus fuerit omnisque eius educatio eo spectaverit, ut quam eruditissimus et aptissimus ad rem publicam administrandam evaderet.

Atque primum quidem grammaticam doctus est, quae non modo legendi scribendique expostulabat facultatem, sed etiam recte loquendi scientiam atque enarrationem poëtarum comprehendebat[3]); qua doctrina absoluta in poëtarum, philosophorum, rhetorum scholam missus est[4]), qui Tacitea aetate quodammodo sedes totius tunc temporis institutionis occupaverunt. Maxime autem id spectabat Tacitus, ut quam optime sciret Graecam linguam, cum magnam partem et litteris et magistris Graecis uteretur. Neque solam philosophiam, sed ceteras quoque artes liberales ex Graecis potissimum fontibus hausit et diligenter sine dubio omnia tractavit, quae sibi in foro et re publica versaturo praesidio et ornamento essent, iuris peritiam, leges et instituta, universam rerum Romanarum memoriam. [5]) Sed nihil profecto magis curae habuit, quam ut eloquentiae fama emineret, quippe qua cum praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, tum sibi ipsi unam eandemque certissimam viam ad summos honores pararet. Quare credere par est eum praestantissimos, qui tum florerent, eloquentiae praeceptores audivisse.

Quibus autem locis et a quibus magistris Tacitus primis litterarum elementis imbutus fuisse videatur, nihil fere certi constat. Postquam e pueris excessit, Romae eum institutum fuisse putabimus, ubi nobiles Romanorum maximam partem versabantur. Ibi factum est, ut Plinii minoris familiaritate uteretur, qui in domo Plinii maioris avunculi educatus et a Verginio Rufo tutore institutus erat. Avunculus [6]) Plinii minoris, Plinius maior, qui postea per adoptationem pater eius factus erat, neque minus

---

[1]) Cf. Grasberger L., Erziehung und Unterricht im class. Alterthum II. pg. 297 sq. Saalfeld, G. A., Der griechische Einfluss auf Erziehung und Unterricht in Rom. Leipzig 1882. pg. 7 sqq.

[2]) Quintil. inst. orat. I, 1, 12; I, 4, 1; Tacit. dialog. 30. Cic. Brut. 90. 310. de orat. 1, 34, 155. Suet. clar. rhet. 1, 2.

[3]) Grasberger, l. l. II. pg. 254 sqq.; 298 sq.

[4]) Marquardt—Mommsen, Handb. d. röm. Alterth. VII, 1., pg. 108 sq.

[5]) Haase, praefat. pg. VII.

[6]) Plin. epist. III, 5; V, 8; VI, 16.

Verginius Rufus tutor [1]) sine dubio familiariter cum iuvene Tacito vixerunt et ad excolendum eius animum multum contulisse videntur. Admirabatur enim Plinius maior, vir omnino admirabilis, excellentissimum adulescentis ingenium eique volens ac lubens rectam ac brevem, quae ad rerum scientiam ferret viam, monstrabat. Quamquam vero, quibus testimoniis gratum se praebuit, maximam partem periere, tamen asservata quaedam maximi sunt documenti animi grati. De illius enim vita et exitu per Plinium minorem certior fieri cupivit et persaepe scriptis eius usus est; [2]) hunc autem oratione funebri laudavit eiusque facta laudibus celebravit. [3])

Itaque Plinium et Tacitum non modo amicitiae necessitudine, sed communi etiam studiorum vinculo constrictos fuisse Plinianae epistulae satis docent. Quattuor fere annos natu minor cum Tacitum propemodum aequalem sibi dicat [4]), tamen iam adulescentulus eum secutus est longo, ut ipse ait, sed proximus intervallo pariterque ei coniunctus mansit reliquo vitae spatio, ita ut una in studia semper incumberent. Eius rei permulta et disertissima habemus Plinii testimonia. „Quam me delectat, inquit, [5]) **quod, si qua posteris cura nostri usquequaque narrabitur, qua concordia, simplicitate, fide vixerimus. Erit rarum et insigne duos homines aetate propemodum aequales, non nullius in litteris nominis — cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me simul dico — alterum alterius studia fovisse. Equidem adulescentulus, cum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo, sed proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia, sed tu mihi — ita similitudo naturae ferebat — maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris. Quo magis gaudeo, quod si quis de studiis sermo, una nominamur, quod de te loquentibus statim occurro**“. Neque verbis tantum hanc necessitudinem studiorumque similitudinem laudat, sed re ipsa utrumque studia mutuo adiuvisse ex eadem epistula patet; librum enim quendam a Tacito scriptum remittens ait: „**Librum tuum legi et, quam diligentissime potui, adnotavi, quae commutanda, quae eximenda arbitrarer. Nam et ego verum dicere adsuevi et tu libenter audire; neque ulli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur. Nunc a te librum meum cum adnotationibus tuis exspecto: O iucundas, o pulchras vices!**“

Inde abunde patet magnam fuisse Plinii et Taciti similitudinem in colendis litterarum studiis. Ceterum, qua pari erant animorum morumque castitate, concordia coniunctissimam amicitiam servabant, ita ut iudicio

---

[1]) Plin. epist. II, 1; V, 3; VI, 10; IX, 19.

[2]) ibid. VI, 16; VI, 20; conferantur velim epist. III, 5; V, 8; VII, 33. Tac. annal. I, 69; XIII, 20; XV, 53. Histor. III, 28.

[3]) Tac. annal XV, 23 et 61. Histor. I, 8, 9, 52, 77. II, 49, 51, 68. III, 62. IV, 17

[4]) Epist. VII, 20.

[5]) ibid. VII, 20, 2.

hominum tamquam plane pares eadem et laude et gloria celebrarentur, ac nomina eorum quasi litterarum propria, non hominum haberentur.[1])

Iam vero quae fuerit Taciti educatio et institutio, ex superiore expositione, quam tamquam praefationis loco haberi velim, perspici potest. Ac de hac quidem materia quoniam satis iam dictum esse videtur, nunc ad tractanda Taciti litterarum studia me converto. De qua re cum multorum virorum doctorum multa sint et varia iudicia, omissa concertandi ac refellendi contentione, quid mihi maxime probabile videatur, ordine exponam. Atque primum quidem agam de Taciti studiis poëticis, deinde de studiis philosophis, tum de studiis eius rhetoricis, denique de studiis historicis; quae omnia breviter complexus in capite altero, quam rationem Tacitus in colendis litterarum studiis secutus sit, exponere conabor.

---

[1]) Plin. epist. VII, 20; IX, 23.



Caput I.

De Taciti studiis.

§. 1. De studiis poëticis.

Qua enim indole ac natura erant Romani, cum rerum usum maxime spectarent, in ea quoque studia incubuisse eos manifestum est, ut, quod sibi proposuerunt, assequerentur. Cum autem ex moribus et studiis gravitas quaedam Romanorum esset propria, a concipiendis rerum imaginibus procul aberant. Quo factum est, ut poësis ea dumtaxat aetate minus coleretur, quippe quae suapte natura perfecte et plane neque doceri nec disci possit et tunc temporis non a poëtis ipsis doceretur, sed qui idem aut grammatici aut philosophi aut rhetores essent. Itaque difficillimum est exquisitu, quibusnam veris poësis magistris Tacitus usus fuisse videatur, nisi forte Saleium Bassum [1]) adiit, cum optimum virum tum absolutissimum poëtam, et Curiatium Maternum, [2]) qui ab eloquentia se averterat ad artem poëticam. Erant autem tunc temporis Romae nonnulli ludi, qui dicebantur, poëtici et conventus studiorum vinculo constrictorum virorum et iuvenum, qui in legenda poëtarum opera et in exercendam poësin incumbebant. Atque cum ex Plinii minoris epistulis doceamur, quam coniunctissimus fuerit usu amicitiae cum aliis poëtis tum maxime Martiali et Silio Italico, hi viri ne Tacito quidem ignoti fuisse videntur. [3]) Quae cum ita sint, Tacitum quoque ab eius generis studiis haud alienum fuisse crebra in eius scriptis vestigia ostendunt et illa quidem Lucreti et Vergili carmina studiose ab eo lecta et memoriae mandata esse [4]); sed num scripta eius generis ediderit, id quod Plinium fecisse scimus, nihil certi constat, quamquam tenera iuventute in ea quoque re eum occupatum fuisse verisimillimum est [5]).

---

[1]) Dialog. 5, 9, 10; Quintil. inst. orat. X, 1, 90.

[2]) Dialog. 2, 5, 9, 10, 11, 13, alii.

[3]) Plin. epist. III, 7 et 21; Mart. epigr. 10, 19; Tacit. histor. III, 65.

[4]) Baehr. histor. litt. Rom. II. § 261, adnot. 9.

[5]) Plin. epist. IX, 10.

§ 2. De studiis philosophis.

Constat cuiuscunque populi philosophiam duplicem esse aut genuinam ab ipso procreatam aut alienam aliunde petitam. Iam Graecis quidem contigit, ut genuinam philosophi prius foverent colerentque quam exteram ad summumque fastigium perducerent, cum contra apud Romanos philosophia usque ad Ciceronis aetatem iaceret nec ullum haberet lumen. Quamquam vero Romani progrediente tempore operam dare inceperunt quaestionibus philosophis, tamen nihil ex se procreaverunt, sed, quidquid Graeci vel pervestigatione vel disserendi ratione in philosophia profecerant, in suum usum converterunt. Tantam enim assecuti sunt viri praeclarissimi Socrates, Plato, Aristoteles perfectionem, ut facile omnibus temporibus specimina et exemplaria proponi possint. Neque tantum praeter scientiam philosophia apud Graecos florebat, sed qui eruditi esse cupiverunt, multum utilitatis ex ipsa ceperunt; quin etiam ad vitae usum multum valuisse videtur, qualia erant praecepta Zenonis, quae tradebantur ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ, quae dicebatur. Atque illi quidem viri τῆς ποικίλης στοᾶς, qui Stoici sese nominabant, dissentiebant ab Epicureis, qui in vitae tranquillitate felices se esse contendebant. Academici autem dicebantur, qui Platonis praecepta sequebantur, Peripatetici, qui Aristotelem summum auctorem habebant. Sed cum mores et studia Romanorum occuparet philosophia, quae maxime rerum usum spectabat, ea accepta est. Itaque factum est, ut, cum Athenis Romam venissent rei publicae causa agentes tres philosophi, Carneades Academicus, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus, ibique aliquamdiu de rebus philosophis dissererent, magnum in Romanis studium excitarent. Ex illo tempore Romani philosophiae operam navare inceperunt; sed via ac ratione processisse eos in ea re pro natura et moribus eorum cogitari vix potest. Sed quamquam maximam partem in foro versabantur neque philosophiae studio nisi otii explendi causa faverunt, tamen, quominus filii instituerentur ea doctrina, non intermiserunt. Quae cum ita essent, multi philosophi Graeci Romae peregrinabantur et in domibus Scipionum aliorumve benignissime excepti aut privatim aut publice docebant [1]).

Iam vero si quaerimus, quinam fuerint Taciti magistri philosophiae, et ex ipsius et ex Plinii minoris scriptis apparet utrumque discipulum fuisse Musonii Rufi Stoici, soceri Artemidori, eiusdem, quem Plinius primum aetate maturiore praeter Euphratem Stoicum in Syria audivit [2]). Musonius Rufus equestri loco natus et aetate iam longius provectus in singulari multorum imperatorum erat gratia. Itaque uterque multorum, qui tum Romae erant, et Graecorum et Romanorum philosophorum familiari

---

[1]) Saalfeld G. A., der griech. Einfluss auf Erziehung und Unterricht in Rom, pg. 7 sqq.

[2]) Plin. epist. I, 10; III, 11. Tacit. annal. XIV, 59; XV, 71; histor. III, 81; V, 10 et 40.

consuetudine usus notitiam sibi parare studebat eius doctrinae, quae et animum alit et ad vitae usum necessaria esse videbatur. Ad quod doctrinae studium Plinius vi naturae animique ardore magis ferebatur quam Tacitus, qui eam atque alias disciplinas secundum tunc temporis Romanorum mores et rationes parvi fecit. Omnes enim disciplinas, quae ad fungenda rei publicae munera multum valebant, maximi momenti, ceteras mediocres ratus, cum in eas incumberet, eam maxime spectabat utilitatem, quam vitae usui et rei publicae administrandae afferunt. Atque eam rationem secutus, quae aut in vita aut litteris assequi se non posse putavit, iis alienus erat, neque eiusmodi rebus inanibus frustrationibusque modum excedere periclitatus est. Quapropter philosophiae rationibus, quae tum erant, non admodum favit, cum ipsius indoles ab iis esset aliena; discere tamen a philosophis quaedam et sic complere eruditionem non intermisit, ita ut a Peripateticis aptos locos, ab Academicis pugnacitatem, ab Epicureis honestas quasdam exclamationes perciperet.[1]) Quominus autem philosophia penitus cognosci iusteque aestimari posset, maxime obstabat, quod ea aetate philosophiae praeceptores Romae saepius expulsi sunt;[2]) ex iis Demetrius Cynicae institutionis doctor, complures habebat discipulos, qui Tacito familiariter usi sunt, unde ipsum quoque a Demetrio institutum fuisse conicere licet.[3])

Tacitus autem, quamquam Graecorum philosophiam diligenter cognoverat, Stoicorum, Epicureorum sententias perceperat[4]), tamen haec studia non ultra hausit, quam Romano ad maiora nitenti concessum videbatur; sed Agricolae exemplum secutus id egit, ut, quod difficillimum rebatur, ex sapientia modum retineret.[5]) Non fugit eum philosophis tantum studiis nisos inutili labore ad ea contendere, quae oninom fieri non possent, et per abrupta sese ipsos perdere, ceteris non prodesse. Digna quidem laude celebrat Helvidium Priscum eum fuisse Stoicum, non quo, ut plerique, nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior esset adversus fortuita.[6]) Tacitus vero philosophiae studio adeo tantum favit, quo magis animum excoleret ingeniumque exacueret. Quamquam enim Platonem legerat, Stoicorum, Epicureorum sententias saepius commemorat, tamen non eorum morem secutus vivendi et agendi normam separata cogitatione sibi praescripsit, sed ex moribus institutisque Romanorum et maiorum exemplis, ex temporum condicionibus multoque rerum usu constituit. Atque universum orbis terrarum statum ac conditionem cum mente perlustraret, omnem

---

[1]) Dialog. 31.

[2]) Ruperti Tacit. opera, pg. VII ad ann. 67; pg. X ad ann. 89; pg. XI ad ann. 95.

[3]) Ann. XVI, 34 et 35. Histor. IV, 40.

[4]) Cf. inprimis Hoffmeister, die Weltanschauung des Tacitus, Essen 1831, pg .13 sqq. Haase praefat. pg. XXVII sqq Ann. VI, 28. Histor. IV, 5. Agr. 46.

[5]) Agr. 4.

[6]) Histor. IV, 5.

generis humani spem non potuit non collocare in imperio Romano, quippe quo deleto omnium rerum perturbatio ac pernicies et humanitatis eruditionisque interitus instare videretur. Eadem de causa imperatorum principatum et necessarium et temporibus idoneum putavit.[1]) Etenim quamquam veterem rem publicam liberam, in qua agere digna memoratu pronum magisque in aperto esset[2]), summo recolebat desiderio, tamen maiorum gloria non adeo obstrictus tenebatur, ut eorum instituta per vim restitui posse crederet. Omnium enim potentiam ad unum conferri pacis interfuisse sciebat[3]) neque immensum imperii corpus sine rectore posse stare et librari eum non fugit.[4]) Offendebat autem eius animum, quod primi statim imperatores, qui principatum instituebant, libertatem penitus exstinxissent nimiamque et exitiosam vim sibi arrogassent omnia senatus, magistratuum, legum munia in se trahendo[5]) et verso civitatis statu nihil usquam prisci et integri moris relinquendo.[6]) Hanc enim fuisse causam, cur plurimi principes dominationis vi convulsi et mutati[7]) saevissima quaeque patravissent, cur in civitate, quae tot olim illustribus viris niteretur, nulla fere reipublicae munera administrarentur.[8]) Multos enim nobiles ambitione abreptos vel metu perculsos foedissima adulatione in servitium ruisse[9]), alios rebus publicis se prorsus abstinuisse, promptissimos et ferocissimos principum saevitia cecidisse[10]), ceteros virtute adeo tantum inclaruisse, quantum praeumbrante imperatoris fastigio datum esset.[11]) Principatus igitur ut certis terminis definiretur, certis legibus coërceretur, haud dubie in votis habebat[12]), non quo eam comitiorum et iudiciorum formam restitui cuperet, quae ante Augustum fuerat; valde enim abhorrebat a multitudinis moribus et stud is, quippe quae servis, libertis, peregrinis mixta non idonea esset, cui ulla in administranda re publica facultas concederetur, cum nullam nisi spectaculorum et voluptatum curam haberet.[13]) Tacitus autem totus ab optimatium partibus stabat eorumque iudicia adeo sequebatur, ut iis omnia

---

[1]) Conferatur velim egregia Süvernii commentatio: „Über den Kunstcharakter des Tacitus, Abhandlung der Berliner Akademie der Wissenschaften, histor.-philolog. Classe 1822—1823", pg. 84 sqq.

[2]) Agr. 1.

[3]) Histor. I, 1.

[4]) Histor. I, 16.

[5]) Annal. I, 2.

[6]) Annal. I, 4.

[7]) ibid. VI, 54.

[8]) ibid. I, 11.

[9]) ibid. I, 7.

[10]) ibid. I, 2.

[11]) ibid. XIV, 47.

[12]) Cf. annal I, 2 et 4. III, 26. Histor. II, 91.

[13]) Cf. annal. XIV, 14. XV, 36. Histor. I, 4, 32, 35, 36, 40, 89, 90. II, 90. III, 55, 58, 64, 74, 83, 85, alibi.

tribui vellet et senatum omnis libertatis custodem esse cuperet.[1]) Itaque senatu promptorum virorum auctoritate valente et principis nimiam vim moderante non dubitavit, quin magistratus facultate legitima libere uti, de patria bene mereri atque magni exsistere viri et virtutibus etiam inclarescere possent. Haec enim Tacito virtutis ratio fuit, ut, etsi non spernebat eas virtutes, quae a privatis exerceri possent, tamen eam praecipue in vita publica collocaret neque clarum virum iudicaret, qui in vita privata delitesceret.

Quae cum ita sint, ex universa maiorum et praesentis rerum status contemplatione hanc sibi ceterisque agendi vivendique normam constituit, ut bonis sub imperatoribus praeclaris factis quam maxime adessent rebus publicis, sed tamen caverent, ne gloriae nimia exsuperantia et morum nimia severitate suae aetatis homines offenderent, summis virtutibus iam non pares [2]); deinde sub malis imperatoribus ne segni innocentiae se darent, neve imperatorem sine ullo rei publicae usu irritarent. Ut enim neque doctrinae studio[3]) neque metu temporum [4]) satis excusari inertiam arbitrabatur, ita eorum improbabat nimium animi ardorem, qui sibi causam periculi facientes ceteris libertatis initium non praeberent.[5]) Moderato obsequio reservandam sibi esse potius bene merendi de re publica facultatem; licere enim inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione et periculo vacuum, ita ut teste Agricola etiam sub malis principibus magni exsistere viri possent.[6])

§ 3. De studiis rhetoricis.

In nullo litterarum genere Romani maiore studio versati sunt, in nullo felicius profecerunt quam in eloquentia et historia, cum utriusque scientia et exercitatio magno esset vitae usui et ad famam imperii gloriamque nationis multum conferret. Summam autem operam eloquentiae studio navabant, quo non aliud vel ad utilitatem fructuosius vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest.[7]) Itaque orator multum valebat cum auctoritate in re publica administranda tum maxime, qua ratione, ut eam dignitatem assequeretur et obtineret, in communem

---

[1]) Cf. annal. IV, 6. XIII, 4.
[2]) Cf. Agric. 1. et 17. Histor. I, 18. Annal. XIV, 47.
[3]) Histor. IV, 5.
[4]) Cf. histor. I, 49.
[5]) Cf. annal. XIV, 12.
[6]) Agric. 42.
[7]) Baehr. histor. litt. Rom. II. pg. 324, adnot. 3.

omnium eruditionem conferret et litterarum studium incenderet incensumque diffunderet; ipse autem orator omni et sui et prioris temporis doctrina imbutus esset necesse erat.[1]) Sed cum ad orationes frequentissime habendas tot publicae in urbe actiones invitarent, ita ut unusquisque fere Romanus fieret quodammodo orator, etiam rhetorica ars inde a Galbae Gracchorumque temporibus acrius exerceri coepta est.

Iam vero de Taciti studiis rhetoricis disserturo mihi adnotandum esse videtur hoc loco, quam viam ac rationem illo tempore inierint iuvenes, qui arti rhetoricae studebant. Amplectebantur enim in hac arte excolenda atque tractanda duas potissimum rationes, quae quidem, quamquam diversissimae inter se maximeque disiunctae, et cum rerum publicarum statu cohaerebant et praeceptoribus utebantur celeberrimis praeclarissimisque. Quarum altera spreta Ciceronis arte dicendi neque, ut ille censuerat, ut sententiae inter se aptae conexaeque necessitate quadam continerentur, prospectum est, neque servata aequabilitate orationis uberiori materiae consultum est. Neque mirandum est, quod oratoribus uberiore et liberiore materia uti non liceret. Etenim ut antea in libera re publica iudiciorum ratio liberior eloquentiae quoque vim auxit, cum publicae in foro agerentur causae, ita principum temporibus oratores metu perculsi vel secreto agebant causas vel in senatu orationes habebant innoxias. Itaque cum eorum ratio in eo tantum posita esse videretur, ut exquisitiores in dies voluptates excogitarentur et sensus rerum suavitate languefacti ad novas oblectationes percipiendas apti fierent, in dicendo quoque, quae antea admiratione digna visa erant, nihili aestimabantur; immo vero argumenta eiusmodi conquirebantur, quae et verborum et sententiarum insolentia audientium animos obstupefacerent. Quae cum ita essent, periodos artificiose conformatas minus probabant earumque loco oratione pressa atque concisa utebantur, sententias autem ita invertebant atqe inter se coniungebant, ut trita quoque ac pervulgata novam quandam speciem gererent. Ita a sincera illa dicendi ratione aberrantes oratores ostentationem et, ut Walterus dicit,[2]) simulationem quandam induxerunt. Atque primus quidem a vetere illa atque directa dicendi via deflexit Cassius Severus orator,[3]) non infirmitate ingenii neque inscitia litterarum, sed quod animadverterat „cum condicione temporum et diversitate aurium formam quoque et speciem orationis esse mutandam". Valebat autem haec dicendi ratio maxime Nerone principe eiusque auctor exstitit L. Annaeus Seneca. Quamvis enim in eo fuerit ingenium copiosum, plurimum studii, magna rerum cognitio quamvis multae in eo claraeque sententiae, tamen in eloquentia erant corrupta pleraque atque eo perniciosiora, quod abundabant dulcibus vitiis.[4]) Itaque

[1]) Cf. dialog. 32.

[2]) E. Walter, de Taciti studiis rhetoricis, Halis Sax. 1873, pg. 2.

[3]) Dialog. 19. Annal. I, 72. IV, 21. Quintilian. inst. orat. X, 1, 116.

[4]) ibid. X, 1, 125—131.

Vespasiani aetate cum morum redintegratio ipso principe auctore fieret pristinaque morum severitas revocari coepta esset, fieri non potuit, quin corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus ad antiquam integritatem reducere studerent, qui arti rhetoricae operam navabant. Fuerunt autem in hoc numero clarissimi illius temporis viri, Iulius Secundus, Vipstanus Messalla, Curiatius Maternus. Pristinae autem simplicitatis et antiquae integritatis gravissimus laudator exstitit M. Fabius Quintilianus, qui cum universa dicendi ratione tum disertis verbis huc vel illuc pronuntiatis Ciceronem se sequi auctorem neque huic potiori corruptam sui temporis eloquentiam praeferri passurum se esse professus est. Neque tamen cum Ciceronem exemplar proponeret iuvenibus in arte rhetorica erudiendis, id unum agebat, ut nihil nisi Ciceronis orationem dicendo exprimeret quaeque summi illius oratoris peculiaria fuerunt, repeteret; immo cum ea servaret, quae e poëtarum carminibus ad prosam orationem oxornandam desumpta erant, id maxime enisus est, ut spreta nimia et verborum et sententiarum insolentia orationem simplicem et ad naturam accomodatam redderet.

Quae cum ita sint, ut eo transeamus re ipsa, monemur, ut inquiramus, quae fuerit illo tempore artis rhetoricae disciplina, qua iuvenes imbui solebant, quasque partes Tacitus secutus sit. Adulescentes enim domestica disciplina absoluta statim ad rhetores deducebantur[1]) ibique non causis publicis interesse didicerunt, sed exercitationibus operam dederunt, quae, cum maximam partem contrariae essent, parum utilitatis afferebant. Etenim e duobus materiarum generibus, suasoriis et controversiis, quae tractabantur, adeo omnia futilia et levia, ieiuna et arida a facundia et festivitate aliena erant, ut non modo recte dicere non discerent, sed etiam res prorsus perversas et eius generis, quae in foro vel raro vel nunquam tractabantur, ingenti verborum mole frustra perscrutarentur. Longe alia eaque multo praestantior erat institutio apud veteres. Rhetorica enim cum iis esset bene dicendi ars, ita ut de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere aliquis possit pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium,[2]) iuvenem illum, qui foro destinatus erat et eloquentiae parabatur, ad eximium quendam oratorem deducebant[3]), quem ubique sectando et audiendo ipsum brevi fortem exstitisse oratorem viderunt. Uberiorem quoque et liberiorem dicendi materiam fuisse oratoribus antiquis dialogus de oratoribus nobis testis est; pertinent enim huc leges rogandae et populare nomen, contiones magistratuum, accusationes potentium reorum et assignatae etiam domibus inimicitiae, procerum factiones,

---

[1]) Dialog. 35.
[2]) Dialog. 30.
[3]) ibid. 34.

assidua senatus adversus plebem certamina.[1]) Maiora quoque iis praemia fuisse proposita, faciliores ad summos honores aditus, plus apud principes et magistratus provinciales gratiae, apud patres auctoritatis, apud plebem notitiae et nominis, clientelas exterarum nationum, praeturas et consulatus indidem apparet. Neque minus formam quam consuetudinem veterum iudiciorum oratoribus favisse, liberum deinde dicendi tempus, causas in foro explicatas, clamores et studia populi certantis, contiones assiduas, datum ius potentissimum quemque vexandi. Quam quidem studiorum rhetoricorum, quae tractabantur, discrepantiam ad ipsum Tacitum, quem a puero summa ingenii acie excellentem omnibus disciplinis institutum fuisse credere par est, quibus tunc pueri imbui solerent, pertinuisse eumque, ut huc vel illuc verteret, invitatum fuisse consentaneum est. Tum vero eos secutus est, qui dicendi simplicitatem et antiquam integritatem in litteras reducere studebant. Fuerunt autem inprimis Quintilianus et ille Nicetes Sacerdos, a quo Tacitum religione institutum fuisse iam supra exposuimus.

Iam vero cum ad rhetoricam accederet Tacitus, tenera certe iuventute florebat[2]), quamquam antea alia studia superanda erant. Exigebatur enim iuris quoque civilis et morum ac religionum rei publicae scientia[3]); neque fieri potuit, quin musicae et geometricae institutioni vacaret aut in palaestrica arte versatus esset[4]), quae studia oratori futuro necessaria commendat Quintilianus. Quamquam non certo relatum legimus Quintilianum fuisse Taciti praeceptorem, tamen ut oratoris civisque officiis recte fungeretur, et ipsius et Nicetae Sacerdotis disciplina eum usum fuisse cogitabimus[5]); qua in re eo minus a vero aberrare nobis videmur, cum ipse Plinius, qui in litterarnm studiis, maxime autem in eloquentia cum Tacito coniunctissimus fuit, utroque praeceptore usus est.[6]) Itaque a prima iuventute in eloquentiae studium acerrime incubuit, et si dialogi de oratoribus Tacitum auctorem esse statuimus, celeberrima tum ingenia fori Marcum Aprum et Iulium Secundum et domi et in publico assectabatur.[7]) Neque a consuetudine Vipstani Messallae, claris maioribus orti, alienus fuisse videtur, qui veterum eloquentiam desiderio recolebat et prioris aevi oratores aemulabatur[8]); praeterea Curiatium Maternum tragoediarum scriptorem et

---

[1]) Dialog. 36.

[2]) Cf. Ruperti Tac. opp. praefat. pg. VII. ad ann. 66.

[3]) Quintil. inst. orat. XII, 3, 1.

[4]) ibid. I, 10, 9 et 34. I, 11, 1 et 15. Liebert, de doctrina Taciti, Wirceburgi 1868, pg. 5 sqq.

[5]) Haase, Tac. opp. praefat. pg. VII. Wrobelius, vir ill. in scholis. Nipperdeius, Tac. opp. praefat. pg. V.

[6]) Plin. epist. II, 14; VI, 6. 32.

[7]) Dialog. 2.

[8]) ibid. 14—16, 25—35, 42.

recitantem audivit in auditoriis et amicitiae usu ei coniunctus fuit.[1]) Quid igitur mirum Tacitum, acerrimi ingenii et strenuae integraeque indolis iuvenem, omni disciplina imbutum, omni ad exercendum ingenium opportunitate subnixum, brevi magna eloquentiae fama excelluisse, cuius rei disertissimum testimonium est Plinii locus iam supra laudatus: „Erit rarum et insigne, duos homines aetate propemodum aequales, non nullius in litteris nominis — cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me simul dico — alterum alterius studia fovisse. Equidem adulescentulus, cum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo sed proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia; sed tu mihi — ita similitudo naturae ferebat — maxime imitandus videbaris.“ Quo ex loco nimirum apparet Tacitum iam aetate admodum iuvenili fama gloriaque eloquentiae floruisse et quidem eius, qua recentis saeculi sui studiis non neglectis laetissima quaeque antiquorum oratorum imitari studeret. Adde huc, quod alio loco[2]) idem Plinius Tacitum his verbis alloquitur: Neque ut magistro magister, neque ut discipulo discipulus — sic enim scribis — sed ut discipulo magister — nam tu magister — ego contra; atque ideo tu in scholam revocas, ego adhuc Saturnalia extendo — librum misisti.“ Nonne ex hoc quoque loco summos illius aetatis viros studiorum ratione inter se coniunctos fuisse perspici potest? — Quod autem Plinius ad Maximum familiarem scribit: [3]) „Nunquam maiorem cepi voluptatem quam nuper ex sermone Cornelii Taciti. Narrabat sedisse secum Circensibus proximis equitem Romanum. Hunc post varios eruditosque sermones requisisse: ‚Italicus es an provincialis?‘ se respondisse: ‚Nosti me et quidem ex studiis.‘ Ad hoc illum: ‚Tacitus es an Plinius?‘ Exprimere non possum, quam sit iucundum mihi, quod nomina nostra quasi litterarum propria, non hominum, litteris redduntur; quod uterque nostrum his etiam ex studiis notus, quibus aliter ignotus est“, eodem spectare videtur magnamque in eloquentia paranda concordiam utriusque scriptoris fuisse docet. Huc referendum est, quod Taciteae orationi inesse censet Plinius τὸ σεμνόν.[4])

Quae cum ita sint, hoc pro certo proponi potest: instituti sunt Tacitus et Plinius ad rem publicam capessendam ab eodem praeceptore, aemulabatur Plinius in dicendo aequalem suum natu maiorem, familiaritate coniuncti manebant per totam vitam, iam vero alterum alterius studia adiuvisse ex compluribus locis epistularum Plinianarum concludi potest.

Itaque ex iis rebus, quae adhuc de Taciti studiis rhetoricis de eiusque cum Plinio familiaritate et studiorum similitudine in medium prolatae sunt, apparet utrumque Quintiliano rectore perfectam sibi comparasse artis rhe-

[1]) Walter, de Tac. stud. rhet. pg. 9.
[2]) Plin. epist. VII, 7.
[3]) ibid. IX, 23.
[4]) ibid. II, 11.

toricae doctrinam; deinde et ex „dialogo de oratoribus“ et ex Quintiliani „institutione oratoria“ conicere licet, quae Taciti studiorum rhetoricorum ratio fuerit, quorum virorum consuetudine usus sit, quos maxime audierit, quos sit assectatus. Summam autem eum sibi parasse artem dicendi eumque in foro causisque agendis eminuisse, eius rei testis nobis est Plinius.[1]) Idem Plinius Tacitum Verginii Rufi mortui, clarissimi civis, anno 97, quo consul suffectus est, laudatorem exstitisse eloquentissimum et hunc supremum felicitati illius cumulum accessisse memoriae tradit.[2]) Tribus annis post Afris a Mario Prisco proconsule male vexatis adesse se ipsum et Cornelium Tacitum a senatu iussos ac diligenter fortiterque hoc munere functos esse, ut dignum mandatis partibus esset, idem Plinius enarrat.[3]) Neque dubium est respicientibus nobis locum ex epistula Plinii desumptum[4]), quin, ut ipse Tacitus aliquando celeberrima fori ingenia assectatus sit, ita postea multi studiosorum Tacitei ingenii admiratione incensi ad eum se contulerint. Iam vero cum Plinius illa ipsa epistula, qua Afrorum patrocinium a senatu una cum Tacito sibi delatum esse refert, de Taciti dicendi genere haec habeat[5]): **„Respondit Cornelius Tacitus eloquentissime, et quod eximium orationi eius inest,** σεμνῶς,“ hoc ipso vocabulo σεμνῶς Tacitum illo tempore in oratoris munere fungendo aliam rationem inisse docet. Inest huic dicendi generi non iam ubertas illa Ciceroniana, non iam iucunditas illa iuvenili aetati optime conveniens, sed summa gravitas et austeritas; quae omnia ad rerum condicionem et statum, qui tum erat, referenda sunt.[6]) Tacitus enim, quamvis teste dialogo non ignoraret depravatum sui saeculi tempus ab antiqua libertate et virtute non minus degeneravisse quam ab eloquentia, sperare tamen potuit, fore ut sub sapientibus et bene moderatis principibus melior quaedam et felicior aetas nasceretur. Sed laeta hac spe brevi est deiectus. Etenim cum Tito nimis mature mortuo Domitianus rerum potitus, quae esset vera animi sui indoles, ostendere coepisset, tum vero rerum status subito in malum conversus est. Fuit illa libertas, qua Vespasiano et Tito regnantibus ad veteris virtutis exempla intendere, sui animi sensus proferre, depravatos saeculi mores castigare licebat; fuit illa opportunitas, qua boni ac strenui viri sociatis laboribus civitati subvenire, publicis muneribus libere fungi, de patria bene mereri et hercule etiam virtutibus inclarescere potuerunt. Tum liberorum ac sapientium virorum erat, grave patientiae documentum dare, principis saevitiae cedere, a rebus publicis, quoad possent, abstinere, veros animi sensus pectore premere. Quid per quindecim illos annos tole-

---

[1]) Plin. epist. VII, 20.
[2]) ibid. II, 1.
[3]) ibid. II, 11.
[4]) ibid. IV, 13, 11.
[5]) ibid. II, 11.
[6]) Cf. Haase, praefat. pg. XLIII. sq.

raverit Tacitus, et Agricolae prooemium docet et ex ipsius animi imagine ac moribus colligi potest; quippe qui cupidissimus agendi digna memoratu ad segnem inertiam, qui bonarum artium et prodendae virtutis memoriae studiosissimus ad turpe silentium damnaretur, quid vero, quod patriam suam unius viri nequitia prorsus pessumdari tacite videret. Quare fieri non potuit, quin dolor quidam vehemens et acerbus nobilem eius animum in diem magis magisque occuparet et penitus perturbaret. Quod quantum valuerit ad gratum illud ac laetum dicendi genus, quo iuvenis usus erat, immutandum, quis est, qui non videat? Per quindecim illos annos, grande mortalis aevi spatium, Tacitus ad turpe silentium coactus, durissimo imperio pressus ac vexatus, quo Domitianus non per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rempublicam exhausit [1]), tot clarissimorum virorum caedes, tot nobilissimarum feminarum dedecora, socerum, de rebus publicis optime meritum, vexatum ac de sua suorumque salute sollicitum intuitus vitam degerat animi dolore et angore, ira et indignatione plenam ac refertam.

Quae cum ita essent, tum demum, cum animus rediit cumque beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuit, principatum ac libertatem, auxitque cottidie felicitatem temporum Nerva Traianus, tum recuperata libere loquendi facultate [2]) **„memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum“** aspero quidem et acerbo, sed illo ipso laeto et hilari animo componere instituit.

§ 4. De studiis historicis.

Ut enim eloquentia iuvenibus Romanis viam patefecit ad amplissimam auctoritatem et summos in civitate honores rite capessendos, ita rerum gestarum cognitio maiorum praeclara facta specimina et exemplaria proposuit eosque, ut pari modo agerent, incitavit. Est praeclarum illud Mureti [3]) de historiae utilitate: **„Quod natura nobis denegat, praestat historia, ut, qui eam diu ac diligenter pervolutarunt, omnibus aetatibus vixisse, omnes regiones perlustrasse, omnibus publicis consiliis interfuisse, omnia, quae unquam contigerunt, praesentes spectasse atque adnotasse videantur.“** Sic historia tamquam testis est temporum atque aequus facinorum tam bonorum quam malorum iudex et optima cuicunque vitae magistra. Hinc omni aevo celebrata est historia, hinc laudibus elati auctores, qui dignum in modum eam conscripserunt.

---

[1]) Agr. 44 sq.

[2]) Cf. C. Wunderer, Tacitus nach seiner Biographie des Agricola, Blätter f. bayer. Gymn., München 1897, pg. 210 sq.

[3]) Muret. orat. 11, 16.

Inter omnes autem scriptores, qui res Romanas litterarum monumentis prodiderunt, vix quisquam reperiatur, qui tantam vim ingenii tantumque iudicii acumen praestiterit una cum acerrimo veritatis aequitatisque studio et flagrantissimo libertatis virtutisque amore quam Tacitus. Diu enim multumque in aulae atque fori consuetudine versatus et penitus imbutus cum bonarum tum malarum artium cognitione omnes vel intimas rerum causas perspicit omnesque simulationes et fallacias detegit, ita ut ex verbis infra allatis satis appareat, quem finem et quam praecipuam historiae utilitatem esse voluerit vir virtutis studiosissimus. **„Praecipuum, inquit, munus annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit“.**[1] Itaque rerum scriptor, tamquam iudex quidam, nihil nisi iustissima iudicia proferre debet eaque tanta veritatis vi ac gravitate, ut metum faciat iis, qui pravorum dictorum factorumque infamiam vel potentiae splendore vel callida virtutis simulatione effugere velint. Tacitus autem ut severissimum se praestat malorum perversorumque facinorum iudicem, ita animo libentissimo immoratur in virtutibus extollendis; nunquam neque ira neque studio abreptus unamque veritatem ducem secutus retinuit, quod est difficillimum, et laudis et vituperationis modum[2]).

Iam vero exponendum nobis est, quem studiorum cursum Tacitus ad scribendam historiam perfecerit et quomodo praeclarum illud ingenium ad tractandas res gestas adhibuerit. Rerum scriptoris autem munus cum tale sit ac tantum, ut supra docuimus, Tacitum maxime idoneum et quasi natum et factum esse ad historiam scribendam putabimus.[3]) Neque enim solum litteris et studiis ad id opus perficiendum eruditus erat, sed etiam clarorum et bonorum virorum consuetudine et vitae usu multiplici. Tantum enim ubique auctoritate valuit, ut, cum ad ipsos imperatores summosque magistratus aditus ei pateret, tum non actorum solum senatus populique, sed commentariorum etiam principum inspiciendorum libera ei esset potestas. Eorum, quae memoriae prodidit, multa ipse vidit, multa per eos, qui rebus gestis interfuerant, comperit. Quae autem ad Britanniam, ad Germaniam, ad res Orientis pertinebant, eorum gravissimos auctores testesque habuit Agricolam, Plinium maiorem, Verginium Rufum, Traianum, Licinium Mucianum, Vespasianum, Titum, alios.

Sed quantum fuerit Taciti studium in legendis scriptoribus, qui ante fuerunt, quantamque diligentiam adhibuerit in colligenda historiae scribendae materia, neminem latebit, qui nomina tantum scriptorum ab ipso commemoratorum leviter et obiter percucurrerit. Summa autem religione

---

[1]) Annal. III, 65.

[2]) Hoffmeister, die Weltanschauung d. Tacit. Essen 1831, pg. 43 sq. Wallichs, die Geschichtschreibung des Tacitus, Progr., Rendsburg 1888. pg. 10 sqq.

[3]) Haase, praefat., pg. XLII sq.

monumenta publica, acta diurna,[1] acta senatus,[2] orationes et epistulas principum,[3] inscriptiones[4] in suum usum convertit.

Quibus autem libris historicis et scriptoribus maxime usus fuisse videtur, hi fere sunt:[5] Commentarii Iulii Caesaris[6], commentarii Agrippinae, Neronis matris[7], fasti et commentarii principum[8], quae Domitius Corbulo[9] et Licinius Mucianus[10] de rebus Orientis prodidere. Ex iis autem, qui proprie historias scripserant, commemorat Aufidium Bassum et Servilium Nonianum[11],

[1]) Annal. III, 3: Matrem Antoniam non apud auctores, non diurna actorum scriptura reperio ullo insigni officio functam; ibid. XIII, 31: cum ex dignitate populi Romani repertum sit res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare.

[2]) Annal. XV, 74: Reperio in commentariis senatus Cerialem Anicium, consulem designatum, pro sententia dixisse, ut templum divo Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur. Plin. epist. VII, 33, 3: Demonstro itaque, quamquam diligentiam tuam fugere non possit, cum sit in publicis actis.

[3]) Annal. I. 81: De comitiis consularibus, quae tum primum illo principe ac deinceps fuere, vix quidquam firmare ausim; adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius (Tiberii) orationibus reperiuntur; ibid. VI, 12: Insigne visum est earum Caesaris litterarum initium; nam his verbis exorsus est: »Quid scribam vobis, patres conscripti, aut quomodo scribam aut quid omnino non scribam hoc tempore, di me deaeque peius perdant quam perire me cottidie sentio, si scio.« Cf. annal. II, 63; V, 2; XI, 24. Histor. I, 99. Imperatorum epistulae commemorantur: annal. IV, 39; IV, 40; VI, 6.

[4]) Annal. XI, 14: Primi per figuras animalium Aegyptii sensus mentis effingebant — ea antiquissima monumenta memoriae humanae impressa saxis cernuntur — et litterarum semet inventores perhibent. Ibid. XII, 53: et fixum est aere publico senatus consultum, quo libertinus sestertii ter miliens possessor antiquae parsimoniae laudibus cumulabatur. Cf. annal. XII, 24. Histor. IV, 40.

[5]) Cf. Haase, praefat. pg. XLVII.

[6]) Germ. 28: Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctorum divus Julius tradit. Cf. Agric. 13.

[7]) Annal. IV, 53: Id ego, a scriptoribus annalium non traditum, repperi in commentariis Agrippinae filiae, quae Neronis principis mater vitam suam et casus suorum posteris memoravit.

[8]) Annal. I, 15: Inter quae tribuni plebei petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur. Histor. III, 17: Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta consul nomen Pisonis radendum fastis censuit; ibid. IV, 40: petit a Caesare Junius Mauricus, ut commentariorum principalium potestatem senatui faceret, per quos nosceret, quem quisque accusandum poposcisset; consulendum tali super re principem respondit. Cf. Plin. epist. X, 71, 72. Huc etiam referendum est imperatoris Augusti testamentum eiusque libellum, quo opes publicas sua manu perscripserat. Annal. I, 8, 11.

[9]) Annal. XV, 16: Ceterum obsessis adeo suppeditavisse rem frumentariam constitit, ut horreis ignem inicerent contraque prodiderit Corbulo, Parthos inopes copiarum et pabulo attrito relicturos oppugnationem, neque se plus tridui itinere afuisse.

[10]) Histor. III, 46: Iamque castra legionum excindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriae gnarus, ac ne externa moles utrimque ingrueret, si Dacus Germanusque diversi irrupissent; adfuit, ut saepe alias, fortuna populi Romani, quae Mucianum viresque Orientis illuc tulit, et quod Cremonae interim transegimus.

[11]) Dialog. 23: Sed vobis utique versantur ante oculos isti, qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legunt, quibus eloquentia Aufidii Bassi aut Servilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet.

deinde Plinium maiorem[1]), Vipstanum Messallam[2]), Fabium Rusticum[3]), Cluvium Rufum[4]), alios, qui illorum temporum monumenta ediderunt; ex vetustioribus nominat Sisennam[5]), Sallustium[6]), Livium [7]); neque ignoti ei fuisse videntur Cassii Severi[8]) famosi libelli, annales Cremutii Cordi[9]). Multos praeterea libros varii generis Tacitum adhibuisse verisimillimum est.

Quae omnia satis indicant magnum monumentorum numerum Tacito suppetivisse. Sed cum munere tamquam sancto fungatur historicus, dubitari non potest, quin Tacitus, quibus auctoribus usus est, eorum fidem diligentissime examinaverit, ita ut, ubi de fide eorum anceps, quid verum ac certum esset, cum ipse reperire non posset, candide id profiteri nunquam omitteret. Ubi rumor populi ac fama discreparunt a rerum scriptorum fide, a veris falsa seiungere studebat quam diligentissime, omnino autem, quin comperta ex aliis iudicii acumine ingeniique, qua valuit, vi et penetraverit et in suum quaeque locum digesserit, quis est, qui dubitet?

Iam vero quo animo ingenioque Tacitus uberrimam hanc materiam tractaverit, qua arte et quo proposito singula composuerit, ut opus perfectum omnibusque numeris absolutum perficeret, breviter exponamus. Atque primum quidem in eligenda materia prudentissimo consilio non

---

[1]) Annal. I, 69: Tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor; ibid. XIII, 20: Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt; ibid. XV, 53: quod C. Plinius memorat. Histor. III. 28: Hormine id ingenium, ut Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim.

[2]) Histor. III, 25: Eo notabilior caedes fuit, quia filius patrem interfecit. Rem nominaque auctore Vipstano Messalla tradam. Cf. ibid. III, 28.

[3]) Fabius Rusticus, amicus Senecae, historiae Neronis et fortasse etiam Caligulae Claudiique auctor. Agr. 10: Formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae vel bipenni assimulavere. Cf. annal. XIII, 20. XIV, 2; XV, 61.

[4]) Annal. XIII, 20: Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt. Ibid. XIV, 2: tradit Cluvius . . . . et inferius: »sed quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere.« Histor. III, 65: verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum.

[5]) Histor. III, 51: nam proelio, quo apud Ianiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein cognito facinore se ipsum interfecit, ut Sisenna memorat.

[6]) Annal. III, 30: C. Sallustius, rerum Romanorum florentissimus auctor.

[7]) Agric. 10: Formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae vel bipenni assimulavere. Annal. IV, 34: Titus Livius eloquentiae ac fidei praeclarus in primis Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustum appellaret.

[8]) Annal. I, 72: Facta arguebantur, dicta impune erant; primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis eius tractavit commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat. Cf. ibid. IV, 21.

[9]) Annal. IV, 34: Cornelio Cosso, Asinio Agrippa consulibus Cremutius Cordus postulatur, novo ac tunc primum audito crimine, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset.

vetera Romanorum tempora enarrare instituit a multis iam auctoribus pari eloquentia ac libertate relata, sed memoriam illam servitutis ab Actiaca pugna usque ad Domitiani mortem pertinentem, quae rerum Romanarum pars neque a magnis ingeniis neque cum posteritatis cura tradita erat. In qua parte tractanda id potissimum spectabat Tacitus, ut satisfaceret muneri illi gravissimo „ne virtutes sileantur utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit". Veri autem studio, ut iam supra docuimus, Tacitus semper ducebatur. Verumtamen non facile erat, ubique verum exquirere. Nam ipse dicit: **„Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt; inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo".** Pariter initio Historiarum: **„Nam post conditam urbem octingentos et viginti prioris aevi annos multi auctores rettulerunt, dum res populi Romani memorabantur, pari eloquentia ac libertate; postquam bellatum apud Actium atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere; simul veritas pluribus modis infracta, primum inscitia rei publicae ut alienae, mox libidine adsentandi aut rursus odio adversus dominantes; ita neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios. Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti; dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim; sed incorruptam fidem professis neque amore quisquam et sine odio dicendus est."**

Ex hisce historici verbis satis apparet initio eum hoc sibi proposuisse, ut omnia summa integritate referret. Neque minus illud studium in enarrandis rebus probavit. Considerabat Tacitus Romam, etiamsi corruptissimis moribus ac pravis servilibusque ingeniis constabat, tamquam caput orbis terrarum eamque dominam esse censebat omnium, quotquot exstabant gentium. Quapropter ceteros populos Romanorum imperio nondum subiectos barbaros vocabat, nulla arte insignes nulloque nomine cum Romanis comparandos. Itaque eos adeo sprevit, ut ex hac sententia apparet: „Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros parum compertum." [1] Quo vero id melius nobis pateat, audiamus eius indignationem, quod Romanae olim copiae ad Germanorum partes transiissent: „Centurionum militumque emebantur animi, ut — flagitium incognitum — Romanus exercitus in externa verba iurarent, pignusque tanti sceleris nece aut vinculis legatorum daretur." [2] Quamquam autem Tacitus Romam omnibus ceteris civitatibus praeposuit, plerumque tamen nihil id nocuit ipsius fidei; barbarorum enim laudes non dubitavit

[1]) Agr. 11.
[2]) Histor. IV, 57.

referre, ubi res postulabat. Sic enim Frisios iure seditionem contra Romanos movisse dicit, horum quippe avaritia turpiter vexatos.[1]) Similiter laudat Arminium, barbarorum principem, „qui non primordia populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit, proeliis ambiguus, bello non victus.[2]) Negari tamen non potest eum deinceps in rebus illorum enarrandis eorum laudibus obtrectasse et vel tacuisse vel leviter memorasse victorias, quas de Romanis reportaverant.[3]) Pari diligentia causas motus Vitelliani ex bello Iulii Vindicis et ex discordiis repetit, quae inde inter legiones et Gallos exstiterant.[4]) Eodem modo diiudicat res gestas principum eosque reprehendit, si minus bene vel in re militari vel in politicis egerint. Sic de Tiridate dicit: „si statim interiora ceterasque nationes petivisset, oppressa cunctantium dubitatio et omnes in unum cedebant; assidendo castellum, in quod pecuniam et paelices Artabanus contulerat, dedit spatium exuendi pacta.“ [5]) Reprehendit item Vitellium, quod amputari legionum numeros iussisset, his verbis: „exitiabile id rei publicae, ingratum militi, cui eadem munia inter paucos periculaque et labor crebrius redibant.“ [6])

Qua enim ingenii sagacitate erat Tacitus, Tiberii, Neronis, aliorum consilia cogitationesque ita patefecit et detexit, ut illi cum eo intima sua cogitata communicasse videantur. Quam egregie Tiberii regnum describit explicatque varia eius facta et verba ex dissimulanti eius et vix explicabili ingenio! Nihil eum latuit aut fugit. Imperatoris illius intimo pectore recondita consilia detracta dissimulationis persona lectori ante oculos proponit; negantem honores, quo sibi brevi maiores compararet, adversantem adulationi, quo melius populi prorsus excideret libertatem, ignoscentem noxiis, ut impune deinde in insontes grassaretur, metuentem Capreis, cum Romae omnia ipsius nutu peragerentur. Quam artificiose Seiani aliorumque turpem adulationem et artes, ut ad dignitatem pervenirent, machinationesque vitae aulicae exponit! Imprimis vero laudandus est Tacitus philosophis et politicis sententiis, quibus historiam suam exornavit, quaeque rerum naturae convenientes experientia comprobantur. Sunt autem illae veluti praecepta, ex quibus non solum privati homines, sed etiam magistratus et principes utilitatem capere possunt. Afferamus aliquot, quo melius de iis iudicemus: „Si velis, quod nondum vetitum est, timeas, ne vetere; at si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra neque pudor est“[7]).

[1]) Annal. IV, 72.
[2]) Annal. II, 88.
[3]) Süvern. „Ueber den Kunstcharakter des Tacitus“ pg. 82, aliquot locos affert, unde hoc luculenter patet.
[4]) Histor. I, 51.
[5]) Annal. VI, 49.
[6]) Histor. II, 69.
[7]) Annal. III, 54.

„Beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse; ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur.“[1]) „Spreta exolescunt; si irascare, agnita videntur.“[2]) „Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiae, non sua vi nixa.“[3]) „Facetiae, ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt.“[4]) „Pessimus quisque diffidentia praesentium mutationem pavens adversus publicum odium privatam gratiam praeparat; unde nulla innocentiae cura, sed vices impunitatis.“[5]) „Tanto proclivius est iniuriae quam beneficio vicem exsolvere, quia gratia oneri, ultio in quaestu habetur.“[6]) „Proprium est humani ingenii odisse quem laeseris.“[7]) — Ne multa, ita philosophiam artemque politicam coniunxit cum historia, ut civilis prudentiae dux atque magister summo iure appellari possit. Ac profecto si insigne viri ingenium philosophamque rationem reputaverimus, qua in civitatum legumque condicionem inquisivit, magni aliquid eum praestitisse etiam in depingenda uniuscuiusque indole ac moribus iure concedemus.[8]) Iam supra demonstravimus, quomodo dissimulatum Tiberii animum repraesentaverit omniaque detexerit occasione. Eodem modo Neronem initio bonum proponit, qui civitati prodesse omni studio nitebatur, deinde autem pravis amicorum libertorumque consiliis et adulatione in deterius deductum, denique eo pravitatis pertractum, ut nihil sibi nefas ducens primum fratrem Britannicum, deinde matrem Agrippinam et praeceptorem Senecam interficiendos curaret et immani crudelitate in principes divitesque Romanos grassaretur. Mos praeterea Tacito in scribenda historia fuit, ut, quotiens alicuius viri mortem memorabat, eius res gestas simul et indolem breviter describeret. Inde insignis humanae indolis perscrutator apparet, inde summum scriptoris patet artificium. Eius quidem rei nonnulla exempla afferre haud a re alienum erit. Sic de Seiani indole: „Corpus illi laborum tolerans, animus audax; sui obtegens, in alios criminator; iuxta adulatio et superbia; palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido eiusque causa modo largitio et luxus, saepius industria ac vigilantia, haud minus noxiae, quotiens parando regno finguntur.“[9]) De Labeone et Capitone: „Duo pacis decora illa aetas simul tulit. Sed Labeo incorrupta libertate et ob id fama celebratior; Capitonis obsequium dominantibus

---

[1]) ibid. IV, 18.
[2]) ibid. IV, 34.
[3]) ibid. XIII, 19.
[4]) ibid. XV, 68.
[5]) Histor. I, 72.
[6]) ibid. IV, 3.
[7]) Agric. 42.
[8]) Cf. C. Wunderer, Tacitus nach seiner Biographie des Agricola. Blätter f. bayer. Gymn., München 1897., pg. 219; pg. 223 sq.
[9]) Annal. IV, 1.

magis probabatur; illi, quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria; huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur."[1]) De Sabina Poppaea: „Huic mulieri cuncta alia fuere praeter honestum animum; quippe mater eius, aetatis suae feminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam dederat; opes claritudini generis sufficiebant; sermo comis, nec absurdum ingenium; modestiam praeferre et lascivia uti; rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat; famae nunquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens neque affectui suo aut alieno obnoxia; unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat."[2]) Haud raro etiam velut uno calami ductu indolem depingit, ut de Claudio Imperatore: „illi non iudicium erat, non odium nisi indita et iussa."[3]) De Nerone: „ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi, quae faceret, insolens erat."[4]) De Vitellio: „umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, iacent torpentque, praeterita, instantia, futura pari oblivione dimiserat."[5]) De eodem: „Ita formatis principis auribus, ut aspera quae utilia, nec quidquam nisi iucundum et laesurum acciperet."[6])

Satis iam exposuisse mihi videor, ut perspiceretur, quam egregie Tacitus in depingenda virorum indole versatus fuerit. Inde eximium admiramur artificem, qui multa praeclara, ut supra vidimus, de regenda civitate deque virtutibus et vitiis animadvertit atque consilia principum virorum e tenebris in lucem profert. Philosopha illa ratione sententias addit historiae, plenas sapientiae, quae, ut rite intellegantur, peritum requirunt lectorem.

Restat, ut commemorem, quo consilio Tacitus historiam suam scripserit. Multi quidem historici hoc potissimum habent consilium, ut principis cuiusdam captent benevolentiam, alii, ut factioni, cui favent, auctoritatem concilient exponendis ipsius rebus gestis et consiliis sublato haud raro vero. Sed repudiandi sunt isti historici nomine plane indigni, quippe qui vetustatis nuntiam temporumque testem ad sua commoda adaptent et verum ad suam utilitatem componant. Verum enim vero historia tamquam vitae magistra homines, quid agendum, quid praetermittendum sit, docere debet; exempla enim bonorum oculis repraesentat, qui virtutis, constantiae, iustitiae acceperunt praemia et malorum miserias et calamitates simul ostendit. Id igitur sibi proponit historicus, qui vere hoc nomine dignus est, ut civium mores praeteriti vel sui temporis memoria emendet, ad bona adhortetur, dehortetur pravis.

Eodem hoc proposito ductus Tacitus res gestas memoriae prodidit.

---

[1]) ibid. III, 75. [2]) ibid. XIII, 45. [3]) ibid. XII, 3. [4]) ibid. XV, 67. [5]) Histor. III, 36.
[6]) ibid. III, 56. Cf. inprimis Annal. II, 72 de Germanico. Ibid. VI in fine de Tiberio. Histor. I, 10 de Licinio Muciano. Ibid. I, 49 de Galba. Ibid. II, 50 de Othone. Ibid. II, 86 de Primo Antonio.

Caput II.

Quam rationem Tacitus in colendis litterarum studiis secutus sit.

Satis iam exposuisse mihi videor, ut perspiceretur, quo ingenio Tacitus cum in eloquentia tum maxime in scribenda historia emineret. Ac profecto si reputamus, quanto labore quantaque diligentia ad aulae atque fori consuetudinem opus fuerit, quanto iudicii acumine ad singulas res investigandas veritatemque, quae fere latebat, exquirendam, vix quisquam eum aequare potest. Quanta autem litterarum cognitio in eo fuerit, ex ingenti scriptorum numero, quos commemorat, conicere licet. Cunctos vero hoc loco enumerare longum est; sufficiat, quos ipse saepius laudat quosque Quintilianus lectione et studio inprimis dignos commendat oratori futuro, verbo referre.[1]) Atque ex Graecis quidem scriptoribus hi sunt: Homerus: dialog. 12, histor. V, 2; Sophocles, Euripides: dialog. 12; Aeschines: ibid. 15, 25; Demosthenes: ibid. 12, 15, 16, 25, 32, 37; Hyperides: ibid. 12, 16, 25; Lysias: ibid. 12, 25; Plato: ibid. 31, 32; Xenophon: ibid. 31; praeterea commemorantur Academici, Stoici, Peripatetici ibid. 31.

Ex scriptoribus Romanis: Vergilius: dialog. 12, 13, 20, 23; Lucretius, Varro: ibid. 23; Saleius Bassus: ibid. 5, 9, 10; Antistius Sosianus: annal. XIV, 48, 49, XVI, 21; Lucanus: dialog. 20; Lucilius, Horatius: ibid. 20, 23; Varius, Ovidius: ibid. 12; Pacuvius, Accius: ibid. 20, 21; Pomponius Secundus: ibid. 13; Servilius Nonianus: ibid. 23; Aufidius Bassus: ibid. 23; Cicero: annal. IV, 34, dialog. 12, 15—18, 20—23, 25, 30, 32, 35, 37—40; Asinius Pollio: annal. I, 12, III, 75, IV, 34, XI, 6, dialog. 12, 15, 17, 21, 25, 26, 34, 38; Messala: dialog. 18, 21; Julius Caesar: dialog. 13, 17, 21, 25, 28, 34, 38; Coelius: ibid. 17, 21, 25; Calvus: ibid. 17, 18, 21, 25, 26, 34, 38; Domitius Afer: annal. IV, 52, 66, XIV, 19. dialog. 13, 15; Vibius Crispus: dialog. 8, 13; Julius Secundus: ibid. 2, 3, 5, 9, 14—16, 33; Brutus: annal. IV, 34, dialog. 17, 18, 21, 25, 30, 38; Hortensius: annal.

---

[1]) Cf. Liebert, l. l. pg. 15 sq. — Finck, praefat. ad Germ. pg. 143 sqq.

II, 37, 38, dialog 16; Quintus Haterius: annal. I, 13, II, 33, III, 57, IV, 61; alii; huc adde, quos iam supra commemoravimus.

Hos igitur auctores Tacitus iudicio summo in suum usum convertisse videtur, ita ut alios nullius haberet pretii, alios maximi faceret. Sic, quae in historicis laterent vitia, sedulo attendebat et omni modo, quidquid re vera factum esset, investigabat quam diligentissime. Neque tantum editi libri ei suffecisse videbantur, sed ex epistulis etiam et actis publicis, ut iam supra commemoravimus, quatenus eorum compos fieri poterat, semper verum exquirere nitebatur. Quo autem melius res cognosceret verumque inveniret, adire solebat homines natu maiores, qui ipsi rebus gestis interfuerant, et hoc modo interrogando complura accipiebat; sed in his quoque rebus iudicio suo nitebatur, ut non omnia, quae audierat, ita facta esse arbitraretur, sed exploraret antea, essentne fide digni.

Iam vero agentibus nobis de ratione, quam Tacitus in colendis litterarum studiis secutus sit, id primum tenendum est eum a prima iuventute eloquentiae studio summam navasse operam diligentissimeque sine dubio omnia tractasse, quae sibi in foro et re publica versaturo praesidio et ornamento essent. Atque eloquentiam variis deinde causis dicendis ita excoluit, ut ab aequalibus orator eloquentissimus salutatus sit,[1]) id quod de matura quoque eius aetate et alii testati sunt et ipse in omnibus suis scriptis satis indicavit. Sic eum tam illustri oratione funebri Verginium Rufum ornavisse tradit Plinius, ut ille hunc velut supremum felicitati Verginii cumulum accessisse iudicaret, quod laudatorem nactus esset eloquentissimum; sic ineunte anno 100 eundem in celeberrima Marii Prisci causa Salvio Liberali, viro subtili, acri, diserto, eloquentissime et, quod eximium orationi eius inest, σεμνῶς respondisse idem Plinius est testis. Anno autem 101, ut videtur, Plinius eum rogavit, ut ex eorum copia, qui admiratione ingenii adducti ad se venire solerent, circumspiceret praeceptores eloquentiae idoneos, quorum unum volebat a Comensibus conduci.[2]) Quibus rebus quidquid auctoritatis et laudis Tacitus sibi paraverit, id totum ad dicendi facultatem potissimum pertinere nemo negabit, quod praeterea comprobatur sermone illo, quem Plinius summa cum voluptate refert.[3]) Eiusdem rei disertissima testimonia praebent Taciti historicorum librorum loci, quibus, ubi occasio fert, suum de singulis oratoribus iudicium affert. Sic de Cassio Severo: „Relatum et de Cassio Severo exsule, qui sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus per immodicas inimicitias, ut iudicio iurati senatus Cretam amoveretur, effecerat.[4]) De Q. Haterio: „familia senatoria, eloquentiae, quoad vixit, celebratae; monumenta ingenii eius

[1]) Plin. epist. II, 1 et 11.
[2]) id. IV, 13, 11.
[3]) id. IX, 23, 2.
[4]) Annal. IV, 21.

haud perinde retinentur; scilicet impetu magis quam cura vigebat, utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul exstinctum est".[1]) Magis etiam laudantur de Caesarum eloquentia verba: „dictator Caesar summis oratoribus aemulus; et Augusto prompta ac profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit; Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus; etiam C. Caesaris turbata mens vim dicendi non corrupit; nec in Claudio, quotiens meditata dissererentur, elegantiam requires".[2]) Pariter de Seneca breve, sed acre iudicium: „quamquam oratio a Seneca composita multum cultus praeferret, ut fuit illi viro ingenium amoenum et temporis eius auribus accomodatum".[3]) Deinde de Mamerco Scauro, quem insignem nobilitate et orandis causis appellat.[4]) Tum de Valerio Messalino: „Valerius Messalinus, cui parens Messala ineratque imago paternae facundiae".[5]) Postremo de Othonis oratione: „et erant, qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori usu celebre et ad implendas populi aures latum et sonans".[6])

Ex omnibus his iudiciis presse dictis et, ut occasio tulit, obiter prolatis licet Tacitum oratorem de sua arte perite loquentem cognoscamus. Neque eum latuit: **„quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores assequebatur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat, tanto plus apud principes gratiae, plus auctoritatis apud patres, plus notitiae ac nominis apud plebem parabat.**[7])

Quae cum ita essent, dubitari non potest, quin Tacitus summo studio id egerit, id maxime spectaverit, ut eloquentiae fama emineret, quippe quae una eademque certissima via ad summos honores esset. Itaque cum ipso genere ad magistratus capessendos destinatus esset, rite eum muneribus publicis functum esse ex hisce ipsius verbis apparet: **„Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim"**. Sed quae fuerit illa a Vespasiano inchoata dignitas, certo constitui non potest. Quam cum Nipperdeius[8]) neque in tribunatu militum neque in vigintiviratu positam fuisse contendat, cum munera haec minora essent, quam ut vir consularis ea primum ad summos honores gradum nominaret, conicit Tacitum a Vespasiano quaesturam, a Tito tribunatum plebis vel aedilitatem accepisse. Quaestura autem fungi

---

[1]) Annal. IV, 61.
[2]) ibid. XIII, 3.
[3]) ibid.
[4]) ibid. VI, 35.
[5]) ibid. III, 34.
[6]) Histor. I, 90.
[7]) Dialog. 36.
[8]) Praefat. pg. IV.

cum illo tempore ante aetatis annum quintum et vicesimum non liceret, Tacitus dignitatem illam a Vespasiano accipere non potuit nisi anno 79, eodem, quo ille diem supremum obiit.[1] Illo enim anno ad vicesimum quintum aetatis annum pervenerat, si eum anno 54 natum esse statuimus. Mortuus enim est Vespasianus ante diem decimum Kalendas Julias anno 79; inire solebant iuvenes quaesturam Nonis Decembribus. Itaque Tacitus Nipperdei coniectura anno 54 natus quaestor designatus quam primum poterat a Vespasiano anno 79 post eius mortem eodem anno Nonis Decembribus munus suum suscepit. Secus sentit Urlichsius,[2] qui Taciti dignitatem quaestoriam a Vespasiano anno 79 mortuo eodem anno Nonis Decembribus inchoare non potuisse arbitratus eum Tito imperante anno 81 quaestorem, deinde anno 84 aedilem vel tribunum factum esse censet. Ab utroque dissentit Haaseus,[3] qui Tacitum a. 84 quaestorem, a. 86 tribunum plebis vel aedilem, a. 88 Domitiano imperante praetorem fuisse censet; dignitatem autem a Vespasiano inchoatam ad vigintiviratus munus refert. Sed difficile est disceptatu, cuius iudicium magis satisfaciat, quippe cum quaestio haec natura sua dubia sit et incerta. Rationibus igitur certis anno 88 Domitiano imperante praetor factus in collegium quoque Quindecimvirorum sacris faciundis cooptatus est,[4] quo munere fungens ludos saeculares a Domitiano editos administravit et ordinavit.[5] Non multo post urbem reliquit sive taedio crudelissimae tyrannidis, sive, ut Ulrichsius vult, muneri cuidam praetorio vacandi causa. Quo autem tempore Agricola, ipsius socer, quem ut patrem diligebat et venerabatur, mortuus est (anno p. Chr. nat. 93), Romae se non affuisse ipse conqueritur.[6] Postea vero Romam reversus anno 97 imperatore Nerva consul suffectus est Verginio Rufo consuli, quem defunctum publica oratione laudavit. Deinde autem imperium obtinente Traiano ab anno fere 102 publicis officiis abstinuit, ut historiae sui aevi scribendae totum se daret,[7] quo principe raram dicit temporum felicitatem, ubi sentire quae velis et quae sentias, dicere licet.[8])

Itaque nunquam ex memoria deponamus Tacitum non ab initio rerum scriptoris munus suscepisse, sed cum magnam vitae partem foro ac rei publicae inservisset, accinxisse sese ad res gestas posteris tradendas. Qua autem arte et qua ratione Tacitus historiam suam scripserit, iam

---

[1]) Wrobel, v. ill., in scholis.
[2]) Urlichsius, de vita et honoribus Taciti, Wirceburgi 1879, pg. 3.
[3]) l. l. pg. IX.
[4]) Liebert, l. l. pg. 7. Wrobel, vir ill., in scholis.
[5]) Annal. XI, 11.
[6]) Agric. 45.
[7]) Ulrichsius l. l. pg. 16.
[8]) Histor. I, 1.

supra exposuimus. Vidimus hoc fuisse Tacito in scribenda historia propositum, ut excitandis maiorum exemplis cives suos a malo averteret, propelleret ad virtutem. Materiam autem ita tractavit et digessit, ut summus historiae condendae artifex habendus sit. Verumtamen scripta eius legentibus nobis tacita quaedam animo obversatur ingenii morumque expressa imago. Apparet autem in iis eximia ingenii vi et acumine excellens, antiquae libertatis patriaeque amantissimus, vehemens impiis scelestisque moribus adversarius. Eadem illa scripta eum produnt eximium oratorem, praeclarum historicum, summum philosophum, qui interna humanae indolis consilia bene explorata habebat et omni modo aequales ad pristinam virtutem morumque simplicitatem reducere concupiscebat. Antiquae rei publicae amantissimus nihilque boni sub imperatore adesse civitati arbitratus comparat praesentia tempora cum praecedentibus atque ubivis rei publicae bona, mala principatus ostendit. Continent igitur eius scripta continuam querelam de Romae miseria, cui remedium adhiberi non amplius poterat, cum priscae virtutis desiderium iam esset exstinctum, exstincta libertas illa civilis et moralis. Vixit enim Tacitus ea populi Romani aetate, qua cuncta ab unius voluntate nutuque pendebant, qua optimi quique in civitate viri falsis criminibus ad mortem ducebantur vel plectebantur exsilio. Morum corruptela in principis aulam, in curiam, in forum sensim irrepserat; desiderabatur prisca illa populi virtus, constantia, fides; adulabantur omnes imperatorem et variis flagitiis libidinibusque ei placere nitebantur[1]). Vidit ipse Tacitus imperium Romanum per unius anni spatium a quattuor imperatoribus occupatum, Italiam provinciasque caede et populationibus pollutas; vidit Domitiano imperatore obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas;[2]) vidit bellorum civilium crudelitatem, quibus filius patrem inscius interficiebat[3]), quibus eques fratrem a se occisum professus praemium a ducibus petebat[4]). Non mirum idcirco Tacitum, cuius animus legendis antiquis maxime historicis imbutus esset iusti honestique sensibus, comparatione instituta inter veterem rem publicam et miserrimam illius aetatis condicionem maestitiae fuisse plenum eamque suis scriptis expressisse.

Hae igitur difficultates, quae ingenium minus insigne infringere poterant, Tacitum tamen non avocarunt, immo impulerunt et incitarunt, ut ex proverbio illo antiquo „**ardua quae pulchra**“, quod sibi proposuit, perageret ad finemque perduceret.

---

1) Hoffmeister, l. l., pg. 58 sqq.
2) Agric. 45.
3) Histor. III, 25.
4) ibid. III, 51.

J. Tiron.